

servitio premet ac victis dominabitur Argis. 285  
 nascetur pulchra Troianus origine Caesar,  
 imperium Oceano, famam qui terminet astris,  
 Iulius, a magno demissum nomen Iulo.

hunc tu olim caelo spoliis Orientis onustum 290  
 accipies segura; vocabitur hic quoque votis.  
 aspera tum positis mitescent saecula bellis;  
 cana Fides et Vesta, Remo cum fratre Quirinus  
 iura dabunt; dirae ferro et compagibus artis  
 claudentur Belli portae; Furor inpius intus  
 saeva sedens super arma et centum vinctus aënis 295  
 post tergum nodis fremet horridus ore cruento.'

Haec ait et Maia genitum demittit ab alto,  
 ut terrae utque novae pateant Karthaginis arces  
 hospitio Teucris, ne fati nescia Dido  
 finibus arceret. volat ille per aëra magnum 300  
 remigio alarum ac Libyae citus adstitit oris.  
 et iam iussa facit, ponuntque ferocia Poeni  
 corda volente deo, in primis regina quietum  
 accipit in Teucros animum mentemque benignam.

At pius Aeneas, per noctem plurimam volvens, 305  
 ut primum lux alma data est, exire locosque  
 explorare novos, quas vento accesserit oras,  
 qui teneant — nam inculta videt — hominesne feraene,  
 quaerere constituit sociisque exacta referre.

classem in convexo nemorum sub rupe cavata 310  
 arboribus clausam circum atque horrentibus umbris  
 occulit; ipse uno graditur comitatus Achate,  
 bina manu lato crispans hastilia ferro.  
 cui mater media sese tulit obvia silva

virginis os habitumque gerens et virginis arma, 315  
 Spartanæ vel qualis equos Threissa fatigat  
 Harpalyce volucremque fuga praevertitur Hebrum.  
 namque umeris de more habilem suspenderit arcum  
 venatrix dederatque comam diffundere ventis,  
 nuda genu nodoque sinus collecta fluentis. 320

ac prior 'heus' inquit 'iuvenes monstrate, mearum